

tamen positivis id prohibitum, *L. 29. ff. L. 3. et 28. C. de Usur.* ita quidem ut, si promissæ sint, non debeantur, et si solutæ, repeti possint. *L. 26. ff. de Condict. indeb.*

ARTICULUS III.

EX QUIBUS CAUSIS VEL TITULIS LICEAT EXIGERE ALIQUID SUPRA SORTEM ?

Præmitto : Tametsi vi mutui aliquid exigere supra sortem juribus repugnet omnibus; posse tamen cum mutuo causas, sive titulos occurrere, vi quorum exigere auctarium liceat, satis certum est plerisque Doctoribus, nec diffitetur BENEDICTUS XIV. in *Epist. Encycl. ad Episc. Ital. anno 1743. die 1 Novembr.* Ac quidem ceu regula generalis statui potest, cum titulum concurrentem cum mutuo sufficere ad exigendum aliquid ultra sortem, qui in contractibus ac negotiis aliis ad percipiendum emolumentum sufficit ultra obligationem illius contractus, vel negotii; nam cum mutuans deterioris non fiat conditionis, quam alius, qui non mutuo dedit; non apparet, cur titulus, qui subin in negotiis aliis per accidens intervenit, justamque causam præbet percipiendi emolumenti, eandem cum mutuo concurrens non præbeat. Hic solum varios ejusmodi titulos expendimus, an sufficient ad proportionatum auctarium accipiendum supra sortem, velut *damnum emergens, lucrum cessans, periculum sortis, ejus assecuratio*? Alios suis adhuc singulos locis ad examen vocaturi.

516. *Dico I.* Damnum emergens est justus titulus exigendi aliquid ultra sortem creditam. Est communis, non tantum Jurisconsultorum, sed æque Theologorum cum Doctore Angelico, 2. 2. Q. 78. a. 2. ad 1. contra SCOTUM in 4. Dist. 15. Q. 2. a. 3.

Ratio est aperta; non enim tunc ratione mutui exigitur, sed damni, quod nemo tenetur subire gratis; estque æque, imo plus æstimabile, quam opera, quam alteri impendimus. Favet sat clare jus canonicum, *Can. Precariorum 10. Q. 2. ubi : Cum ratio et usus obtineat, neminem, cui non vult, contra utilitatem, et rationem cogi de proprio facere beneficium.* Item civile, juxta quod non decet, quemquam liberalitate sua periclitari, *L. 50. ff. de re Judic.* Præterea usura est lucrum ex mutuo, sed evitatio, vel compensatio damni realis non est lucrum. Idque procedit, etsi mutuatarius non sit culpabiliter morosus in solvendo; modo, citra mutuatarii moram, creditor propter mutuum habeat damnum emergens.

Requiruntur tamen ad hunc titulum quatuor : 1º. Ut mutuum revera sit causa damni, e. g. indiges ipse tua pecunia ad emenda necessaria, quæ nunc leviori, postea majori pretio vendentur; mutuas tamen. 2º. Ut moneas mutuatarium de damno emersuro, hocque in pactum deducatur; si enim non moneatur, posset nolle hoc onus subire, sed alibi sine eo quærere mutuum: ac si non deducatur in pactum, mutuatarius tantum tenebitur ad sortem, debetque mutuans suam sibi imputare negligentiam, nisi debitor injusta solutionis dilatione fuerit causa damni. 3º. Ut plus non exigas, quam quanti, perpensis omnibus, arbitrio boni viri et prudentis æstimatur damnum; ne videlicet lædatur æqualitas. 4º. Ut compensationem damni non statim et tempore, quo das mutuum, exigas tibi solvi, sed

quando est reddendum mutuum; hinc non licet petenti 100. dare tantum 90. vel 95. retentis pro damno emergente, cum ex his retentis damnum emergere non possit. Quod hic de damno emergente diximus, servata proportionatione, vero periculo damni applicari potest; ut enim nemo damnum, sic neque hujus periculum gratis subire tenetur.

517. *Dico II.* Etiam lucrum cessans, sive quod mutuans sua industria certo, vel probabiliter fuisset habiturus ex pecunia, quam dedit mutuam, est justus titulus exigendi aliquid supra sortem. Rursum communis, et communi praxi, saltem in Germania, firmata sententia.

Ratio est; quia tunc non exigitur aliquid ratione mutui, sed ratione alieujus ipsi mutuo extrinseci, quod pretio æstimabile est; quale haud dubie lucrum certum est, sed et hujus spes.

Conf. data ratio contra Veterum quorundam sententiam : 1. Nec ipsa patitur æquitas, ut mutuans pro beneficio obligetur ad patiendum dispendium. 2. Pecunia per industriam habentis huic futura fructifera pluris valet, quam alia. 3. Spes lucri probabilis etiam æstimabilis quod sit, ex aliis patet contractibus; sic enim piscator licite vendit spem jactus retis, quo sperat se capturum pisces, licet pretio minori vendere debeat, quam ipsos pisces, *L. si jactum. 12. ff. de Action. empt.* Item, sic spes fructuum agrorum, fœtuum pecoris, etc., passim licite venduntur. Unde *L. un. C. de sententiis*, quæ pro eo, quod interest proferri dicuntur; sed creditoris interest, se lucro certo, vel probabiliter sperato non privari.

Nec obstat auctoritas divi THOMÆ; nam licet loco supra cit. favere videatur oppositæ quorundam sententiæ; re ipsa tamen potius nostræ favet; nam *Q. 62. a. 4. ait*, quod, qui damnificavit aliquem impediendo a consecutione boni, quod erat in via habendi, teneatur compensare, non quidem ex æquo, quia minus est habere in virtute, quam actu; sed secundum conditionem personarum et negotiorum. Igitur et sic intelligendus, *Q. 78. vel dicendum*, quod hic loquatur tantum de lucro, quod est in spe, vel potentia remota, pro ejus privatione utique nihil exigi potest.

Ad hunc tamen titulum pariter condiciones sequentes exigimus : 1º. Ut mutuum vere causa sit lucri cessantis. 2º. Ut non suppetant pecuniæ aliæ otiosæ, quæ ad idem lucrum possent impendi. 3º. Ut spes probabilis et non remota sit, lucri futuri. 4º. Ut moneatur propterea mutuatarius; ac deducatur in pactum, ut ante de damno emergente dictum; ac pariter 5º. Ut compensatio lucri cessantis non deducatur eo tempore, quo datur mutuum; sicut rursum in *Concl. præc. facta limitatio.*

518. *Dico III.* Etiam periculum, si est verum ac probabile, sortis amittendæ, vel non nisi magnis molestiis, aut expensis repetendæ, est, cæteris paribus, justus titulus aliquid exigendi supra sortem. Est Theologorum ac Canonistarum sententia communiter contra NAVARRUM, MART. TOLET. NATALEM ALEXANDRUM, *Theol. Dogm. lib. 3. cap. 7. artic. 5. Reg. 3. aliosque.*

Dixi: cæteris paribus. Nam 1º. supponi debet, mutantem de receptione sortis non reddi aliunde securum, per fidejussores, pignora; si enim ita reddatur securus, non suberit porro periculum, et cessabit quæstio. 2º. Periculum non debet esse quaecumque et commune, aut universale, quod

omnem mutationem comitatur, cum quilibet ditissimus inopinato casu everti suis bonis possit; sed ut periculum justus sit titulus, necesse est, ut *particulare* sit, quod spectatis variis circumstantiis prudenter ac probabiliter timetur, velut si mutuum detur obærato, decoctori; tali, qui se ditiozem, quam sit, jactitat; vel periculosus negotiis, quorum est ambiguus exitus, et implicitus. 3º. Utque tunc deducatur in pactum, serveturque inter periculum et auctarium proportio arbitrio prudentis viri.

Prob. I. Periculum hoc est mutuo extrinsecum, et pretio æstimabile; ergo mutuans non tenetur illud subire gratis, sed potest pro ea in se suscepto aliquid ex pacto exigere. *Prob. Ant.* Nam 1º. est *extrinsecum* mutuo; neque enim ad substantialia, neque ad naturalia hujus contractus refertur. Deinde periculum illud damni, quod mutuans juste et convenienter in mutuo alias evitare potest, huic intrinsecum et innatum dici nequit; sed periculum damni illius potest mutuans alias evitare juste ac convenienter, exigendo fidejussores a mutuuario, vel pignora, salvis justitiæ legibus; cum enim justam naturalem, quam positivum, divinum ac humanum præcipiant creditorem indemnem servari, imposita obligatione gravi reddendi mutuum, poterit haud dubie creditor se illis conformare juribus, sibi que præstare securitatem per pignora de recuperando mutuo, sicque evitare istius damni periculum. 2º. Est *pretio æstimabile*, hoc ipso scilicet, quod mutuo sit extrinsecum, sitque onus, quod multo labore averti solet, petendo pignora, fidejussores; quanti igitur æstimatur securitas pignoribus acquisita; tanti e contra æstimari debet onus talis periculi; securitatem vero illam esse pretio æstimabilem, quotidiana convincimur experientia; dum de ea plurimum solliciti sunt creditores, fatigantque clamoribus tribunalia, si quando pignora periclitentur. *Conseq. patet*, et sequitur per se; quia creditor onus aliquid mutuo extrinsecum, et æstimabile subire non tenetur; cum nunquam ultra naturam contractus contrahentes ex contractu obligentur.

Prob. II. In contractibus aliis ultra obligationem illis propriam periculum æstimari potest, in locatione, commodato, fidejussione, *L. 6. §. fin. ff. Mandati. L. 9. §. 1. ff. de Donation.*; in contractu assecurationis, ut mox dicemus, emptione debitorum periculosorum, quando incerta est censuum solutio, ac debitores difficulter conveniri possunt; ergo et pariter periculum amittendæ sortis, vel non nisi cum molestiis et expensis recuperandæ æstimari poterit. *Nec refert*, quod pecunia mutuata transeat in mutuarii dominium, ut proinde de ejus periculo non possit pacisci mutuans, in locato autem et commodato res in locantis, commodantis dominio maneat; hæc enim non nisi verba sunt; idem enim damnum subeo, sive res mea pereat, sive non restituatur pecunia debita.

Præterea, si *venditor*, verba sunt D. THOMÆ *Opusc. 73. de usura. c. 10.* sub medium, *rem suam intendat vendere carius, non propter tempus tantum, sed tantum propter damnum, quod videt sibi imminere ex dilatione solutionis recuperandæ, seu propter vexationem suam redimendam, quam probabiliter timet futuram sibi in redemptione debiti propter malitiam, vel impotentiam debitoris, tunc excusatur a vitio, et fit æquitas in hujusmodi contractibus per compensationem damni; vel quando probabiliter timentur hæc in credentia accidere, etc.* Sed par est ratio, quando probabile est amittendæ sortis periculum, vel non nisi magnis molestiis ac expensis recuperandæ.

Item: Licet pacisci de auctario ultra sortem reddendo ob probabile periculum damni incerti; igitur multo magis ob periculum amittendæ sortis; magis enim naturæ mutui adversatur amissio sortis, quam emergens inde damnum. Unde merito titulus hic ad *interesse* refertur; uti enim mea interest, ne damnum aliquod subeam; sic multo magis, ne sortem ipsam amittam. Sicut vero etiam periculum damni distinctum est a damno ipso, possumque pacisci de compensando periculo, etsi forte damnum re ipsa non sequatur; ita et hic.

Conf. Ad varias quæstiones a missionariis Sinensibus propositas responsione 3ª. S. Congregatio de propaganda fide, ipso approbante Summo Pontifice INNOCENTIO X. 12. Septembr. anno 1645. censuit, ratione mutui immediate et præcise nihil esse accipiendum ultra sortem principalem. Si aliquid accipiant ratione periculi probabiliter imminenti, prout in casu, non esse inquietandos mutuatores Sinenses, dummodo habeatur ratio qualitatis periculi et probabilitatis ejusdem, ac servetur proportio inter periculum, et id quod accipitur. Hoc responsum cum cæteris refert THOMAS HURTADO in *Calce Resolution. de Martyrio Fidei*, fidem faciente manu notarii Apostolici.

519. *Dico IV.* Honestam et licitam plane est *Assecuratio sortis*, sive contractus, quo creditor omne in se periculum suscipit transferendi alterius pecuniam in locum remotum, ea sub lege, ut, si ad locum destinatum pervenerit, solvatur sibi fœnus 6. pro 100; si vero perierit, sive naufragio; sive quod in piratarum manus incidat, aut quocumque demum modo, non solum pereat creditor, sed hic insuper teneatur tantumdem mutuare, ejusque translationem curare in destinatum locum. Ita cum S. THOMÆ, *Opusc. 73. cap. 9.* Theologi hodie omnes, ac Jurisconsulti contra quosdam veteres.

Ratio est, quod molestia et sollicitudo, atque obligatio, quam in se creditor suscipit, revera sit pretio æstimabilis; cumque ad tale onus teneatur nemo, merito pro hoc suscepto aliquid exigitur. Hoc vero auctarium non exigi vi mutui, ac contractum hunc esse ipsi mutuo extrinsecum, inde patet, quod etiam tertius, non mutuans, possit in se suscipere hoc periculum, hocque titulo aliquid exigere.

520. *Obj. Cont. Concl. 3ª. et 4ª. I.* In famoso capitulo *Naviganti, de usur.* ait GREGORIUS IX. *Naviganti, vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem pro eo, quod suscipit in se periculum, recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus*; ergo ratione periculi suscepti nihil licet exigere ultra sortem.

II. Consonat etiam jus civile; nam per *L. 5. ff. de naut. fœn.* tunc tantum de periculi pretio licet pacisci, si modo in *aleæ speciem* cadat contractus, hoc est, si utriusque periculum, et utrinque spes lucri sit: atqui hoc non fieret in dato casu; mutuarius enim, si solvere cogatur periculi pretium, ex una parte nihil lucrari potest, cum nunquam liberetur ab obligatione restituendi; ex parte vero alia debet certum subire damnum sine lucri spe, quia debet solvere periculi pretium; sed hoc æqualitati ac justitiæ adversatur.

III. Periculum amittendæ sortis non tollitur per pactum de solvendo pretio propter periculum; pretium enim illud æque est periculo subjectum,

quam ipsa principalis sors; ergo, qui non sollicitus de cautione huic lucriti supponit, satis declarat, quod nolit cavere de damno, quod timet; sed eo nomine lucrari velit supra æstimationem damni.

IV. Si ob periculum liceat pacisci de auctario supra sortem; ergo vel ob *periculum juris*; vel ob *periculum facti*: neutrum dici potest; non 1^{um}. nam periculum juris est, si quis rei ita suscipiat periculum, ut, quocumque casu pereat, hujus restituendæ habeat obligationem: sed hoc periculum rei mutuatae penes mutuatarium est, non penes mutuantem; ergo hic propterea ab illo nihil potest exigere. Non 2^{um}. periculum enim facti non æstimatur; 1^o. quia mutuo intrinsecum est; nam periculum facti est periculum perdendæ sortis; sed quandocumque creditor rem suam dat mutuam alteri, in hunc illius transferens dominium, semper illam exponit rerum humanarum casibus; ut proinde sortis amissæ damnum sit malæ fortunæ tribuendum. 2^o. Quia debitor inde non liberatur periculo; ut vero periculum æstimabile sit, ac possit quis propter illud juste exigere pretium, necesse est, ut in se suscipiat periculum, et ab hoc liberet alium; nunquam enim homines solvunt periculi pretium, nisi ut se a periculo liberent.

V. Eidem demum periculo, cui sors, etiam expositum est auctarium, quod titulo periculi ultra sortem exigitur; ergo et pariter ob periculum, cui expositum auctarium est, novum poterit exigere auctarium sicque porro in infinitum; quo autem nihil dici absurdius potest.

Verum plus hæc apparentiæ, quam soliditatis habent. Unde ac quidem

Ad 1^{um}. Diversa est variorum responsio. *Prima* est ZYÆI *Jur. Pontif. nov. Lib. 5. Tit. de Usur.* qui cum PAULO BUSIO *ad ff. de naut. fœn.* se ita breviter expedit hoc *cap. Naviganti* dicendo, istud nullibi gentium, ut sonat, esse receptum. *Altera* aliorum, videlicet, ibi vel mutuam compulisse mutuatarium, ut periculum perituræ sortis relinqueret mutuanti, ideoque solvatur auctarium, cum tamen mutuarius maluisset suo periculo habere sortem, ut liber esset a solvendo auctario; vel periculum non fuisse verum, aut alicujus momenti. *Tertia* rursus aliorum, volentium, errore librarii omissam esse particulam negativam *non*, ac legendum esse: *usurarius non est censendus*; quod colligi putant ex sequentibus, dum in alio casu quis ab usura absolvitur hisce: *Ille quoque non debet usurarius reputari, etc.* nam, inquit, inepte adhiberetur particula connexiva *quoque*, si in anteriore casu reus usuræ damnaretur; igitur in utroque casu idem juris esse debet. Unde et recentiori editioni corporis juris canonici adornatæ a Justo HENNINGIO BOEHMER, per modum notæ particula *non* addita legitur. Favet huic responsioni EMMAN. GONZALEZ, capitulum referens cum eadem particula negativa. Obstare tamen videtur tum, quod omnes manuscripti codices textum in sensu affirmativo, in quo eum supra retulimus, sine particula *non* proferant; tum maxime S. RAYMUNDUS de PENNAFORT, Decretalium GREGORII IX. compilator, qui capitulum hoc iis, ut extat, inseruit; hic vero in sua *Summa de Pœnitentia* iisdem prorsus verbis affirmativis profert capitulum hoc, ac decisionem Pontificis, scilicet talem usuræ reum esse, multis confirmat rationibus; tandemque subdit, de hoc casu expressam hodie Decretalem esse. Quare his responsionibus suo cæterum in valore relictis,

R. In *c. Naviganti* non esse quæstionem de periculo *facti*, sed periculo *juris*, id quod ex S. RAYMUNDO perspicuum fit, qui non tantum hanc deci-

sionem suæ inseruit collectioni; sed et ad propositam a se S. Pontifici quæstionem illius condendæ occasio fuit; cum hæc Decretalis, ut notat GONZALEZ, inscribatur *Fratri R.* scilicet RAYMUNDO, qui tres casus, quos in Summa sua attigerat, nondum invenerat decisos, ac ideo proposuerat Pontifici. At vero RAYMUNDUS aperte in Summa sua Decretalem de periculo *juris* intelligendam tradit, quando videlicet quis periculum suscipit etiam perdendi jus ad repetendam sortem creditam; verba enim RAYMUNDI sunt: *Aliquis mutuatur naviganti et eunti ad nundinas certam pecuniæ quantitatem, recepturus aliquid supra sortem pro eo, quod suscipit in se periculum, id est, si pecuniam vel merces inde emptas portaverit salvas, aliter non teneatur sibi etiam de sorte.* Igitur primo hæc decisio *periculum facti* in mutuo non tangit, neque nos.

Si replicas: Ergo S. Pontifex ceu usurarium damnat, dum quid exigitur ob susceptum *periculum juris*, cum tamen omnes consentiant, posse hoc titulo aliquid exigi, ut in contractu assecurationis fit.

R. *N. illat.* Dum enim, inquit S. Pontifex, *usurarius est censendus*, respexit ad leges civiles de *fœnore nautico* Romanorum; sicut enim propositus Pontifici casus poterat, ac eo tempore debebat intelligi in sensu legum civilium; sic et accommodari hoc sensu debebat decisio. Leges vero civiles in pecunia trajectitia permittebant fœnus nauticum principaliter ac immediate propter usum pecuniæ mutuatae, ita ut susceptio periculi non esset causa exigendi auctarium simpliciter, sed hoc supra morem et modum augendi. Noluit tamen S. Pontifex definire, usuram esse, quidquid sincera ac bona fide ratione periculi solius a se suscepti exigitur. Hinc mutuam non absolute pronunciat usurarium, sed talem esse *censendum*, id est, in foro externo præsumendum, quod videatur contraxisse de fœnore nautico ad sensum legum civilium.

Ad 2^{um}. R. Sic mendose textum allegari a BALLARINO, sed legendum esse eum particula *non* hoc modo: *Si modo in aleæ speciem non cadat*, itaque in recentioribus editionibus extat; et vero, ut notat GOTHOFREDUS *ad eamd. L.* alea a legibus alias damnatur. Igitur totum hoc argumentum ruit. Sed permessa etiam BALLARINI lectione, falsum est, quod omne periculi pretium requirat aleæ speciem ex utraque parte; sicut enim alea est, dum spes emitur; ita alea est, dum periculum venditur, *L. 8. ff. de contrah. empt. L. 11. ff. de hæred. vel act. vend.* Denique et in nostro casu debitor suum habet commodum, cum creditor ab eo non exigat pignora, fidejussores, quod alias juste posset.

Ad 3^{um}. R. *N. Cons.* Etsi enim per pactum illud non tollatur periculum perdendæ sortis, pretium tamen illud movere potest mutuantes, ut subeant hoc periculum mutuo extrinsecum, ad quod ex contractu mutui non tenentur. Sic pactum de compensatione præstanda ad multa alia onera ac pericula subeunda movet homines.

Ad 4^{um}. R. Ratione periculi *juris*, quando periculum sortis penes mutuatarium remanet, haud dubie nihil posse exigi; recte tamen ob *periculum facti*, de quo est hic quæstio. Falsum vero est, periculum facti non æstimari; cur enim alias creditores etiam probissimi, ipsique montes pietatis sibi per pignora tam sollicitè prospiciunt contra hoc periculum, ut se inde mnes servent?

Ad *prob. 1^{um}*. R. *N.* Hoc periculum esse intrinsecum mutuo, saltem si sermo est de periculo particulari, ut constat ex dictis.

Ad prob. 2^{am}. N. quod periculo alterum liberare debeat, qui petit periculi pretium. Numquid mercatores ob suscepta in se pericula merito majoris aestimant merces, quin tamen alios periculo liberent? Cives certe, qui ab his emunt, nunquam habuerunt animum pro se illa pericula subeundi.

Ad 5^{am}. R. N. *seq.* Auctarium primum, etiam ut periclitans, jam sufficiens est compensatio, sicut fidejussor unus, ut etiam periclitans aliquo modo, sufficit juxta ipsos adversarios, quin propterea debeat fidejussoris fidejussor alius exigi, et sic in infinitum. Nec exigitur auctarium tanquam medium plenam præstans securitatem, sed ut mutuantem movens spe qualiscumque lucri (si tamen ita nominare placeat, cum æque dici posset compensatio pro suscepto periculo) ad periculum subeundum.

ARTICULUS IV.

AN STATUTUM PRINCIPIS, VEL TITULUS PROVINCE SIT SUFFICIENS AD ALIQUID EXIGENDUM SUPRA SORTEM?

§21. *Præmitto*: Quantæ utilitatis sit præsens controversia, facile ex sola ejus propositione intelligitur. Ejus proinde magnitudo et gravitas, ut in aliis similibus usuvenire controversiis solet, quid mirum, si et hic auctores scindat in contraria? Affirmativam tæntur innumeros juris civilis Interpretes ipsamque Cameram Imperialem cum MARQUARDO Spirensi Episcopo ac Camerae Judice, anno 1577. ac præter Canonistas plurimos Theologi nobilissimi, ii que haud pauci numero, JACOB. LEDESMA in Congregatione super censu Germanico habita Romæ anno 1573. TOLETUS apud P. ZECH, in *Rigore moder. Doctrin. Pontif. Diss. II. Sect. V. Art. II. §. 112.* TANNER *Theol. Schol. Tr. 3. D. 4. de Just. Q. 7.* PASQUALICUS *Decis. Moral.* 183. HAUNOLD *de J. et J. Tr. 9. n. 421.* BABENSTUBER *Theol. Mor.* seu, ut vocat, *Ethicæ supernat. Salisburg. T. 7. Disp. 6. Art. 4.* METZGER *Theol. Schol. Salisburg. Tom. 3. Tr. 13. Disp. 43. Art. 2.* BOECKHN *Comment. ad Jus Can. Lib. V. Tit. XIX.* FELIX *POTESTAS Exam. Eccles. Tom. 1. n. 2414.* DOMINIC. VIVA *de Usur. Q. 3. Art. 1.* aliique recentiores complures. Negativam e contra propugnant alii; quos inter hoc seculo eminuit P. DANIEL CONCINA e Sac. Prædicator. Ord. in P. PICHLER prioris sententiæ patronum invecus, magis tamen indiscreto zelo, et stylo scommatico, quam solidis argumentis. Ego vero, qui phaleratis verbis haud moveor, minime contumeliis; sed potius rationum pondus intueor, nec quidquam obstantibus argumentis Concinianis, priori subscribendum sententiæ censeo. Quæ vero hic de statuto Principis, vel summi Magistratus dicentur, etiam de consuetudine debent intelligi, utpote quæ vim suam maxime a consensu Principis derivat. Igitur

§22. *Dico.* Statutum Principis est probabilius justus titulus aliquid exigendi supra sortem.

Prob. Statutum Principis est justus titulus exigendi moderatam præstationem ab ejus subdito, quando statutum hoc nititur causa publica, vel exigentia boni publici; ergo etiam, quando eadem causa subest, est justus titulus exigendi aliquid occasione mutui.

Prob. Ant. Vi domini alii, quod omnium consensu habet Princeps vel

Respublica in bona subditorum, potest de his disponere ad exigentiam boni publici; cur ergo ex eadem causa non posset dare facultatem præstationem moderatam aliquid a suis subditis exigendi? Ex eodem dominio alto potest ex causa publica extraordinaria tributa exigere a subditis præstanda sibi; quare non poterit jus concedere alteri ex causa pariter publica a suis subditis exigendi? Sane videmus quotidie, magistratus Ecclesiastici auctoritate concedi alteri jus exigendi pensionem annuam a Beneficiato altero, ac quidem ex causa solum privata, ad sustentationem pauperis clerici, vel ob præviam resignationem; ac cur non poterit Princeps politicus ex causa quidem publica in quibusdam circumstantiis obligare subditum ad moderatam præstationem solvendam alteri? Demum si ex causis publicis possit Princeps, vel Respublica, post legitimam possessionem tempore a jure requisito continuatam, transferre rerum valoris sæpe maximi in alios dominia, ut fit in præscriptione; multo magis ex similibus causis potest moderatam partem fructuum, vel præstationem moderatam exigendi jus conferre aliis.

Prob. et Cons. Non enim apparet, cur solummodo mutuum excludat statutum Principis, quod in negotiis aliis vim obligandi habet; nam statutum Principis, sicut titulus lucri cessantis, periculi facti et juris in assecuratione, est mutuo extrinsecum; igitur parum refert, sive occasione mutui, sive occasione alia jus exigendi præstationes aliquas detur a Principe; sicut parum refert, an lucrum cesset occasione mutui, vel alia; ultimata enim talis statuti ratio non est ipsa mutuatio, quod hic bene notari velim, sed causa publica exigens, ut mutuanti solvatur moderata præstatio. Unde etiam hæc præstatio non exigeretur *vi mutui*, sed *vi statuti* ex publica causa facti, ad quod mutuatio se habet solum occasionaliter; vel, si ita quis loqui malit, per modum conditionis, qua habita Princeps ad exigentiam causæ publicæ confert hoc jus mutuanti; ferme sicut in præscriptione legitima possessio debito tempore continuata se habet instar conditionis, qua posita lex rei dominium confert possessori. Paritas hæc de præscriptione apprime huc facit; utpote qua pleraque adversariorum argumenta retorquentur.

Causæ vero publicæ talis statuti esse possunt sequentes: subsidium inde obveniens locis piis, viduis, pupillis, personis miserabilibus atque egentibus, quæ sæpe nequeunt negotiando suis ex pecuniis lucrum capere; si tamen dent alii, conservari et sustentari possunt; Reipublicæ vero interest has conservari; imo huic earum cura incumbit: facilitas accipiendi mutuum, quæ uti bono communi et Reipublicæ membris est admodum utilis et subinde necessaria, ita et Reipublicæ optabilis: evitatio litium, quæ etiam communiter assignatur pro sufficienti causa in præscriptione; si enim necessario requireretur titulus lucri cessantis, vel damni emergentis, periculi amittendæ sortis, etc. aut prævia probatio ejus, quod *interest*, litium non foret finis; cum talis titulus deberet probari, et a mutuataris, qui passim ægre usuras solvunt, adesse negaretur: tranquillitas item conscientiarum, ne ob intervenientes titulos alios oriantur inquietudines: præsumptio demum generalis, eaque duplex, quarum una præsumitur in mutuante ordinare adesse titulum alium, lucri cessantis e. g. periculi sortis, vel non nisi difficulter et cum magnis molestiis recuperandæ, quod sane frequentissimum esse non apud pauperes solos, sed etiam eos, qui opibus valentiores vel sunt, vel videntur, vel se esse fingunt, quotidiana docet experientia.